



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Arbor Vitæ Sive Vita Et Doctrina Christi

Ex Quatuor Evangeliiis In Meditationes Quotidianas Velvti Totidem Ramos
Distributa

Illsung, Jakob

Dilingæ, 1693

Meditatio CCCIX. Varia hominum de Christo judicia, & Petri Confessio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60727](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-60727)

autem Christus expuit in oculos nostros, quando facit, ut per agnitionem nostræ vilitatis, instar vilissimi sputi nos esse credamus; & quando vicissim alios magni æstimamus, ut videamus illos veluti arbores ambulantes. Quòd si ab alijs tamen ita magni æstimemur, eorum iudicium non aliter curare debemus, quàm homo nanus ac Pygmæus curaret iudicium dicti cæci. Scientes enim, nos in omnibus esse pusillos, non debemus cæco hominum iudicio extolli, nec tantos nos credere, quanti à cæcis mortalibus esse dicimur: horum enim sermo est sicut umbra Solis, à tergo nostro occidentis; quæ brevis etiam staturæ humanæ longissimam, & vero longè maiorem projicit & effingit imaginem, paulò post tamen cum Sole evanescentem.

PUNCT. III. *Deinde iterum imposuit manus super oculos eius: & capit videre. Et restitutus est, ita ut clarè videret omnia.* Sic studeamus semper proficere in Cælesti Sapiencia, donec clarè videamus, & intueamur omnia, prout sunt, & non prout ab hominibus dicuntur, vel æstimantur; ab his enim præsentia ac temporalia magni fiunt, futura verò & æterna parvi.

MEDITATIO CCCIX.

Varia hominum de Christo iudicia,

& Petri Confessio.

Matth. 16. v. 13. Marc. 8. v. 27. Luc. 9. v. 18.

PUNCTUM I. *Venit autem IESVS in partes Cesarea Philippi, & interrogabat Discipulos suos, dicens: quem dicunt homines esse Filium Hominis? Matth. 16. v. 13.*

sive: *Quem me dicunt esse homines?* Marc. 8. v. 27. Et hac Christi interrogatione discimus, aliquo modo attendendum esse ad hominum de nobis sermones, & saltem finistrè de nobis loquendi illis causam nullam demus. *Devitantes hoc* (cum S. Paulo 2. Cor. 8. v. 20) *ne quis nos vituperet in hac plenitudine, quæ ministratur nobis. Providemus enim Bona non solum coram DEO, sed etiam coram hominibus.* Sic etiam Ecclesiasticus monet *Curam habe de bono nomine.* c. 41. v. 15. Hæc cura maxime necessaria est ijs, qui in Communitate vivunt, & qui Saluti Proximi vacant; ne Communitas damnata, vel Proximus scandalum patiatur, & ut non *vituperetur ministerium nostrum* (2. Cor. 6. v. 3.) tanquam indigno commissum, aut malè & negligentè administratum.

PUNCT. III. *At illi dixerunt, alij Joannem Baptistam, alij autem Eliam, alij verò Jeremiam, aut unum ex Prophetis.* Matth. 16. v. 14. Vides, quàm varia, & quàm erronea sint hominum judicia, & sermones; & quàm proinde parvi sint æstimandi, modò ipsi causam finistræ suspicionis, vel sermonis non præbeamus? Notandum tamen est, quòd Apostoli non detulerunt ad Christum etiam malos de ipso sermones: quòd fit potator vini, Transgressor Sabbati, Magus vel demonium habens, amicus Publicanorum, Peccator, Blasphemus, seductor turbæ &c. Etiam si enim apud Christum nihil erat metuendum, apud alios tamen meritò timendum est, ne hujusmodi relationes vel contristent, vel alienent eum, de quo dicuntur.

PUNCT. III. *Dicit illis IESVS: Vos autem quem me esse dicitis? Respondens Simon Petrus, dixit: Tu es Christus, Filius DEI VIVI.* Matth. 16. v. 15. Considera, quam

de Christo æstimationem habeas, & quid interroga-
tus ipsi posses, ac deberes respondere. Scilicet Tu
es Christus Filius DEI Vivi, Dominus meus, & DEVS
meus, Redemptor, Pastor Bonus, Dux, Magister,
Pater, Frater, Amicus fidelissimus, Hostia & Sacer-
dos, Medicus Animarum, Consolator, Panis Vitæ,
Judex vivorum, & mortuorum. &c. Age, ut his
omnibus titulis convenientes Affectus voluntatis
correspondeant, Honor, Amor, Fiducia, Metus &c.

MEDITATIO CCCX.

Christus Petro Cæli Claves pollicetur.

Matth. 16. v. 17.

PUNCTUM I. Respondens autem IESVS, dixit ei: Bea-
tus es Simon, Bar Jona (id est, filius Joannis) quia ca-
ro & sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus, qui in Cæ-
lis est. Matth. 16. v. 17. Considera, quænam illæ sint
Veritates, quas caro & sanguis revelat; imò quàm
alienæ sint à Veritate, quæ testimonio carnis & san-
guinis nituntur. Caro enim & sanguis non nisi
mollia, sensibilia, transitoria, vilia, ac infima novit,
& ea fallacia bona pro veris habet: DEVS autem altio-
res, meliores, & firmiores Veritates revelat, quæ
adversantur carni & sanguini. Nondum tamen Bea-
ti, qui audiunt Verbum DEI, revelantis has Verita-
tes; sed tunc tandem sunt Beati, quando etiam cu-
stodiunt illud.

PUNCT. II. Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, & su-
per hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi
non prævalebunt adversus eam. Et tibi dabo Claves Regni

O 1

Calo-